

IN
CELEBRATIONEM DIVINI NOMINIS
cujus
BENIGNITATE ET CLEMENTIA FACTUM EST,
UT IN GRATIAM
JUVENTUTIS AUG. CONF.
ADDICTÆ

SEMINARIUM
EVANGELICUM

AD GLOGOVIENSIVM MOENIA, TEMPLUM
JUXTA EXSTRUERETUR,

ORATIO
DE FUNDATIONE

HUJUS SCHOLÆ, *(Glogowensis)*
IPSO INAUGURATIONIS, VULGO OMNIUM
SANCTORUM

DIE I. NOVEMBR. ANNO MDCCIIIX
HABITA,

A
M. CHRISTIANO LIESNERO,
SEMIN. RECT.

Hist. Siles.

170,38

LIPSIÆ,

Apud JOH. FRID. GLEDITSCH, ET FILIUM,
ANNO MDCCXV.

Vol. 4

30.

1.

COLETTION
OF
THE
LITERATURE
OF
THE
NINETEENTH
CENTURY
BY
MAXIMILIAN
SPERDING
OF
MUNICH
IN
THE
FIRST
SERIES
OF
THE
LITERATURE
OF
THE
NINETEENTH
CENTURY
BY
MAXIMILIAN
SPERDING
OF
MUNICH
IN
THE
FIRST
SERIES

Viris

Genere, Pietate & Prudentia Claris,

Generosissimo Domino

**ERNESTO HEINRICO
de KOTTWITZ,**

Dynastæ in Danchwitz, Kuchelberg & Kahrau, inclyti

Ordinis Equestris Seniori Gravissimo.

Generosissimo Domino

**MAXIMILIANO FERDINANDO
de GERSDORFF,**

Dynastæ in Weichnitz, Kanik & Kavvallen.

Maxime Reverendo

DN. M. AUGUSTINO WITTICHIO,

Past. Pr. Eccles. Scholæque Inspectori Vigilantissimo.

Excellentiss. Experientissimoque

**DN. FRIDERICO WILHELMO
GERHARDO,**

Med. Doct. & Scholarchæ Dignissimo.

ut & ceteris Honoratissimis Scholæ Inspectoribus

Plurimum Reverendis

DN. MARTINO HANCKIO,

Archi-Diac.

DN. DAVID BENJAMIN

GERBERO, Diac.

DN. M. SAMUEL LUCIO,

Sub-Diac.

Viris numero Sacro septenario conspicuis,

Patronis, Fautoribus & Amicis Optimis

hunc sermonem septem abhinc annis habitum, incomptum & pro-

letarium quidem:

memoria recolenda tamen dignum cupit esse sacrum

Autor.



Viri

Generosissimi, Maxime Reverendi, Excellentiss.
Doctiss. Honoratissimique,

Patroni, Fautores & Amici edecumati.



Etus ac memorabile dictum est, quo quavis occasione utebatur *Constantinus II.* Cæsar quondam invictissimus, *Difficilia qua pulchra.* Rem ipsam exemplo suo probaturus Imperio præesse pulchrum judicabat: Quam difficilem vero crediderit Imperii possessionem, docent fratres æmuli, quibuscum ipsi de Imperio dimicandum fuit. Profecto rem acu tetigit laudatissimus Princeps. Siquidem nullum negotium inter tot rerum mu-

mu-

mutationes tam leve aut arduum est, quin habeat admistum quicquam pulchritudinis, quicquam difficultatis.

Pulchrum est Eruditorum capeffere laudes, honores ac Dignitates: eas autem multo labore & sudore acquirere, *difficile*. *Pulchrum est* mercaturæ frui commodis: ast periculum terra marique inire *difficilius*. *Pulchrum est* amari: sed amorem tot muneribus atque impensis toto die compensare, *difficillimum*. Sic in rebus arduis. *Pulchrum est* cum Sanctis ingredi cœlum: grave tamen onus cum Christo crucifigi. *Pulchrum est* publice profiteri nomen Christi: verum enim vero imitari ejus mortem perquam difficile. *Pulchrum est* instaurare Scholas, præsertim hanc Evangelicam ex Gratia Præpotentissimi Dei, & Augustissimi Josephi Imperatoris, Regis ac Domini, Domini nostri longe Clementissimi, cujus memoria sit in benedictione, benignissime nobis concessam: quantis vero difficultatibus fundatio involuta fuerit, nesciat Posteritas. Nonnulla igitur dicturus sum:

De Fundatione hujus Scholæ, & quidem

- I. *De Fundationis Pulchritudine,*
- II. *De Fundationis Difficultate, Capt. Ben.*

Verba facere constituimus *primum de Fundationis Pulchritudine*. Occurrunt enim pulchra Objecta, pulchrior finis, pulcherrimus effectus. Pulchra omnino est hujus Scholæ fundatio, *respectu objectorum* dignissimorum. Ad sunt Promotores, quorum interest de salute publica cogitare: Ad sunt Nutritores, quorum est conservationem hujus boni meditari: Ad sunt Benefactores, quibus volupe est beneficiis, officiis, consiliis & precibus rerum suarum satagere: Ad sunt Præceptores & Discipuli, qui horum omnium expectationi docendo discendoque satisfacere conantur. Intuemur denique locum satis commode exstructum, Deo dicatum, Seminarii sive Officinæ Spiritus S. nomine proprio

signatum, quo de dilecta posteritas, uti Nostras ille Trotzendor-
fius teneram juventutem salutare sueverat, suos exigit Legatos,
Cancellarios, Doctores, Licentiatos, Magistros & Rectores.

Pulchrior est *finis*, cujus gratia hujus scholæ fundatio, moli-
mentum maximum, suscipitur. Illius autem acquisitio nititur Discipli-
na & Doctrina. Hæc introducit pietatem & eruditionem, illa
amovet ac tollit irrepentem malitiam & extremæ inscitæ barba-
riem. *Antoninus Philosophus* quidem eas tantum Respublicas
cum Platone dixit beatas, *ubi Philosophi imperarent, & Imperato-
res philosopharentur*: Beatiore vero dicimus eas, ubi regnat, viget,
florebit pietas, cum eruditione, vera veræ felicitatis ac favoris homi-
num conciliatrice. Neque postponimus Disciplinam firmis-
simam vitiis obicem ponentem, siquidem illi, qui Disciplinam &
Doctrinam primum Scholarum dixerunt columnas, vere dixe-
runt, recte dixerunt, sapienter dixerunt, quibus duobus fulcris
eversis ac remotis, Scholam ne quidem nomine dignam puta-
mus.

Pulcherrimus denique creditur *effectus*, sive utilitas, quam
ex Scholis bene fundatis ceu uberrimum piæ recordationis fru-
ctum capimus. Ecclesia à Scholis suos exposcit Christianos, Res-
publica cordatos ac bene moratos cives. In iis enim fidei salvifi-
cæ fundamenta ponuntur, eaque doctrina imbuuntur discentes,
cui in vita vivere, & quam ad mortem usque defendere tenentur.
Lacedæmoniorum filii ab incunabulis ad arma adsuefacti, quum
ad bellum proficiscerentur, à matribus suis accipiebant clypeum,
his verbis: *Cum hoc, vel sub hoc*. Hoc autem præcipiebant ipsis;
ut cum hoc victores redirent, vel sub hoc clypeo vita honeste de-
functi efferentur. Omnes enim qui in acie oppetebant, clypeo
recti terræ commendabantur: Christianorum juvenes nihil minus
Christianæ militiæ nomen dant in baptismo, malignum cum ope-
ribus suis spiritum abnegantes; in Scholis tamen ipsis demum cly-
peus Jesus Christus, à matre, puto Ecclesiam, datus, ad oculum
describitur, atque *cum hoc* fortiter pugnandum, vel *sub hoc* placide
quie-

quiescendum esse ad ravim usque inculcatur. Præcipue insignis utilitas elucet ex Praxi Ecclesiæ. Non levis causa subest, quare veteres, imo recentiores, barbare loqui si licet, tumulum lapidibus Christo triumphatore signatis, obtexerint. De mortui beatissime expirantes innuerunt hoc signo, quam ardentem sub Christo, Christianorum clypeo, in quo viventes vivebant, vigeabant & erant, etiam dormientes quiescere gestiunt.

O beati dormientes! quibus felice omine *ad parietes* hujus Auditorii quiescere contigit. Vobis à cæmeterio sejunctis propior patet aditus ad gremium vestri Salvatoris, in quo vobis dormire volupe est. O luculentum certæ resurrectionis præsagium! Beatissimos vos dicerem, si vobis *sub Auditorio* quiescere contigisset, pedibus vos quidem tangerem: ast non conculcarem. Adest enim cœlestis torcularius infernalis serpentis Victor, cujus sub vexillo ductoris instar, omnem impietatem omnemque inscientiam pedibus conculcare jubeor. O si vera esset cujusdam Novelli doctrina: de mortuos quoque congaudere ac sibi gratulari de viventium felicitate, eamque nobis perpetuam ac stabilem precari! audacter exultarem ipsisque acclamarem: Adeste beati, & videte, videte & exultate, laudate Dominum in sanctis, laudate eum in secula. Lætitiâ nobis à Deo concessam, vobis non invidemus, capite quantum potestis, & cantate Domino, quia fecit nobis magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. Sed valete mortui, lætetur potius posteritas, civium nostrorum amor, futurus hujus felicitatis ex asse hæres.

Sed eheu! quot difficultates hanc nostram felicitatem interstrepunt! Instaurare Scholas, earumque frui commodis omnino pulchrum est: Verum & hanc pulchritudinem sua laborare difficultate dolemus. Nostrum erit ergo dicere *Secundo de Fundationis Difficultate*, non tam circa exstructionem ædificiorum, quæ difficultas experientia teste minoris momenti non est, quam circa *Præceptorum Vocationes*, ne ejusmodi *τυφλὸς τυφλῶν* plus nocentes quam docentes, sed quibus honor Dei cum salute publica uni-

ce

ce curæ sit, adeant. Siquidem late patet, hodieque non paucos docentium subsellia conscendere, licet minus doctrinæ habeant, quam curculio sanguinis. Summa porro difficultas exerit se, circa *Salariorum erogationes & dispensationes*, quarum Administratores ipsi inopia premuntur. *Ærarium Ecclesiasticum*, unde Salaria pendent, est exhaustum! Cœtus Evangelicus pari modo mediocri sorte fruitur! Unica spes, ultimum piorum refugium, adhuc tenet animum nostrum, quod Deus regnum & ejus justitiam primum quærentibus, omnia quæ conducunt, ultro adjecturus sit. Neque levis sese exerit difficultas circa *legum Ordinationes & præscriptiones*. Nam & hoc sapientis est, ut partim docentibus æque ac discipulis prospiciatur, partim ne numerus ac modus excedatur, siquidem veteri verbo plurimæ leges omnis Reipubl. pestis, & sic porro. Accedunt querelæ, ludibria, sciolorum stricturæ, calumnia &c. Et licet Demosthene docente nihil sit imbecillius calumnia: semper tamen aliquantisper audientium opinionem confirmat, & ita omnino ad ea tribulationum genera, quæ invincibilem difficultatem pariunt, pertinet.

Sed recipiant animum A.S. & credant, nullam rem adeo difficilem adparere, quin felicem juvante Deo sortiatur exitum: Ita Deo confisi lætum sperabimus eventum. Divina gratia provisum cautumque est, ne latrones vel mercenarii latronibus peiores, vel vulpeculæ, uti Salomon loqui amat Cant. II. v. 15. vineam Dei vastantes in hunc locum sacratum irruerint. Habetis Rectorem, imbecillitatis suæ haud immemorem, sed conscientia teste sedulum ac fidelem. Habetis Collegas pari honore dignos, ab integerrimis viris satis commendatos, & quantum homines judicare possunt, egregie pios. Quid multis? Deus in reliquum tempus providebit. Adsunt Patroni, adsunt Fautores & Nutritores, in emolumentum Seminarii nostri Evangel. publicæ salutis quo consulant, paratissimi. Cætera difficultatum tela scuto patientiæ ac spei excipiamus, & ex mente cujusdam Principis Saxonix pie defuncti, *omnia cum Deo & die vincamus.*
Cum

Cum Deo Ecclesiae Tutores mihi hanc provinciam delegarunt: *Cum Deo* me fideliter officio functurum dextram dedi: *Cum Deo* tenerae juventutis studia nisi ad Colophonem, ad fastigium tamen perducturus sum. Nec molestiarum, nec iniquitatum, nec ignorantiae vestigia me terrent. Quicquid enim onerosum, *cum Deo* & die levatum: quicquid impium, *cum Deo* & die sublatum: & quicquid salutare, *cum Deo* & die introductum iri, totus confido.

Sed commode in mentem venit, quod Vobiscum *Viri Generosissimi, Plurimum Reverendi, Excellent. Honorotiff. Patroni & Fautores Optimi*, hodie mihi sit res, quorum benevolentiam silentio obscurare nefas ducerem. Gratias ergo Vobis habeo maximas, quibus ita visum est, meam tenuitatem Vestrae Benevolentiae radiis collustrare, mihi que Rectoris munia committere: beneficium tamen ut Vestrae Dignitates beneficio addant, & primis petitis liberali vultu annuant, obnixè rogo. Notum imo notissimum est, quod misera, ne dicam deploranda Docentium sit conditio, partim, quod plerumque Discentium ignorantia tribuitur Doctori: partim, quod Praeceptor inscitiae & negligentiae statim accusatur, si puer plumbei ingenii Parentum voto accurate non respondeat, cum tamen *ex quovis ligno, vulgo quod dicitur, Mercurius non fiat, neque Ovidio dicente semper positum sit in Medico, ut ager convalescat.*

Hoc si forte contingat, rogo quantum possum, ut culpa vacantem excusare, Scholam proinde cum Docentium tum Discentium ardorem spectatum & exploratum frequenter visitare, & ita legibus nostris Vestra praesentia & auctoritate munitis, tentamini juvenili licet levisimo applaudere, quod idem est ac currentibus novum calcar addere, dignemini. Quoad vires me in id perpetuo incubiturum credant, ut sub moderamine meo, boni ducis exemplo, juvenus salutari doctrina imbuatur: contra vero malitia ignavia & ignorantia scientiarum hostibus extirpatis, boni mores eidem inculcentur.

Quam victoriam consequendam cum multorum requirantur

B

tur

tur manus, honoratissimos quoque Collegas mirum in modum rogo, ut conatibus hisce meis suo tempore benigne adsint, & pestem irrepentem malitiam, ignaviam aliaque vitia unita vi mecum aggrediantur. Legatus Pontificius *Casparus Contarenus*, Cardinalis magnæ virtutis vir ac pacis studiosus An. 1541. in Collegio *Ratisbonensi* de Protestantibus publice fassus est: Eos nihil prætermittere diligentia, sed in hoc esse totos, ut suis in Gymnasiis viri doceant eruditione præstantes, atque ita fieri, ut adolescentes plerique omnes ad ipsos concurrant, inprimis autem genere Nobiles, qui cum literis una Religionem inbibant. Conf. *Sleidani Comment. de Statu Relig.* Lib. 14. p. m. 356. Ad hanc virtutem, laudem, gloriam & Eruditionem & hodie adspiremus. Sic floreat Schola, sic exultabit Patria, sic & nos dicent fideles ac officii memores, donec quisque nostrum gloriam suam sepulchro inferat illibatam.

Nunc vos compellare tempus monet, Juvenes Florentissimi, unumque necessarium commendare vobis, *obedientiam scilicet*, quibusvis sacrificiis præstantiorem, qua pendet omnis vestra felicitas, vestra fortuna, vestra salus. Mit euch rede ich, *Bel. Sch.* die ihr dieser Sprache noch nicht kundig, und von gegenwärtigen Hoch-Edlen, Besten, Großachtbahren, Hoch- und Wohlgelahrten Herrn Elias Ebelio, der Standes-Herrschaft Carolath hochverordneten Cankler, unsers neuerbauten Evangelischen Seminarii würdigen Scholarchen, und wahrhaftigen Patrioten des Evangel. Zions, mir als eurem Rectori so hoch recommendiret, und gleichsam auf die Seele gebunden seyd. Mit euch rede ich, und fodre nichts mehr als den Gehorsam, den ihr mir, und meinem Herren Collegem fünffzig zu geben schuldig seyn werdet. Bey denen Lacedæmoniern musten sich die jungen Leute nach Lycurgi Geseße einen gewissen Gürtel messen lassen, war der Knabe dicker als der Gürtel war, so mußte er so lange hungern, bis er die erheischte Stärke des Leibes an sich hatte, und sich in den Gürtel schickte. Ich bringe vor euch auch einen Gürtel mit, welcher nicht irgend zu Lacedæmon verfer

verfertigt, sondern von Gott verordnet, und aus den allerkostbaresten Gliedern, nemlich aus guten und auf eure Wohlfahrt zielenden Gesetzen zusammen gefüget ist. Dieser Gürtel soll nicht so wohl euren Leib, als euren Willen, Sinnen und Affecten in der Enge halten, damit ihr solche nicht weiter, als sich gebühret, brauchen möchtet.

Wer sich der Tugend widmet, dem wird er statt eines Ordens-Bandes zur Zierde gegeben: Wer aber die Finsterniß liebet, dem wird er eine Last seyn und viel zu enge werden. Um deßhalb wird manch ungezogener Schüler seinen alten Adam zuvorher lange müssen aushungern, ehe er sich in den engen Gürtel schmiegen, und denen göttl. Gesetzen conform wird leben können. An euch liegt es also, daß ihr durch Gehorsam die Gesetze in der Execution unkräftig und das Schwere leichter machen helffet. Ihr werdet vielleicht auch mit Kayser Constantino II. sagen: *Difficilia quæ pulchra!* Es ist wohl alles schön, aber es ist zu schwer: Dargegen müßet ihr gedencken, daß diese Worte auch umgekehrt statt finden: *Pulchra quæ difficilia*, was schwer ist, das ist auch schön. Schwer istts ja wohl, daß ihr schon in eurer Jugend, wieder Vermuthen dem eignen Willen absagen sollt: Es ist aber auch schön, daß ihr unter dem Titul der Mit-Schüler unsers Jesu prangen möget. Schwer istts, daß ihr von nun an die beste Zeit zum Lernen anwenden solltet, die wohl mancher sonst mit lustiger Gesellschaft wird zugebracht haben: Es wird aber auch schön seyn, wenn ihr an Weißheit und Gelehrsamkeit zunehmen werdet, daß ihr Gott und den Nächsten vor andern dienen könnet. Schwer istts, wenn man sich an so viel Sitten-Regeln soll fesseln und binden lassen: In der Kleidung sol man reinlich, im Gange unveränderlich, und im Fragen und antworten bescheiden seyn: Aber sagt mir doch, wird es auch nicht schön seyn, wenn man euch vor andern unartigen Kindern vor fromme, sittsame und wohlgezogene Söhne halten wird? An manchen Orten begehren die Kinder am H. Abend nichts zu essen, weil sie per suadiret sind, daß ihnen sonst der H. Christ nichts beschereu werde. Geschicht nun dieses von jungen

Leuten aus eurem Mittel, daß sie sich eines Gewinnes wegen durch Hunger wehe thun; Warum soltet ihr durch Zähmung eures unordentlichen Willens nicht etwas vertragen und Gehorsam leisten, da ihr euch hiermit so wohl bey Gott, als der erbaren Welt so nachdrücklich recommendiren könnet.

Sed revoco vernaculam linguam Eruditis communem, familiarem ac propriam, Deumque pie veneror, ut coeptis nostris gratiam adspiret suam, & laboribus ex alto benedicat, ita, ut vergant in nominis divini gloriam, bonique publici emolumentum. *Trigesimus tertius* jam agitur annus, ex quo ob discessum ex vita *Serenissimi Principis Georgii Wilhelmi, Principis Brieg. & Liegn.* ultimi, ultima Protestantium spes in Inf. Silesia consenuit imo sepulta est. *Trigesimus Tertius* jam ruit annus, cum post obitum laudatissimi Principis, S. Cæsareæ & Regiæ Majestatis indultu, Evangelicæ Doctrinæ addictis, per instaurationem templorum, Scholarum & in primis hujus Scholæ, in Silesia nova lux accenditur. *Trigesimus tertius* fere effluxit annus, quo Deus meam tenuitatem omine divino per nativitatem mundanæ dedit luci. Faxit itaque Deus T. O. terque M, ut laudatissimi Principis virtutes, quas pallida mors invadebat nobis, per sedulam & infucatam educationem in florentissimæ Juventutis cordibus per me denuo accendantur!

Dixi.

